

in:

Terms and Conditions

The Göttingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library. Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions. Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library


For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact:

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek
Digitalisierungszentrum
37070 Goettingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

Purchase a CD-ROM

The Goettingen State and University Library offers CD-ROMs containing whole volumes / monographs in PDF for Adobe Acrobat. The PDF-version contains the table of contents as bookmarks, which allows easy navigation in the document. For availability and pricing, please contact:
Niedersaechisische Staats- und Universitaetsbibliothek Goettingen - Digitalisierungszentrum
37070 Goettingen, Germany, Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



4339

8^o H. L. R. I 4339

- 1.) Joh. Chr. Reimann : de Campanis, origine, usu, abusu. Tract.
Isnaei 1679.
- 2.) Steph. Andr. Mizler : de Campanis. Wittob. 1695.
- 3.) Paul Chr. Hilfcher : de Campanis templorum. Lips. 1692.
- 4.) Jo. Godfr. Lane : de turrium et campanarum usu in
rep. christ. Lips. 1784.
- 5.) Georg. Henr. Goetze : de baptismo campanarum. Lubec. 1712.
- 6.) Nic. Eggers : de Campanarum nomine et origine tenae
1584.
- 7.) Nic. Eggers de Campan. materia et forma. tenae 1685.
- 8.) Jac. Frid. Ludovici : de eo quod iustum est circa
campanas. Halae 1708.

LVIII.

Q. D. B. V.

DE

CAMPANIS,

in Electorali ad Albim Academia,

XIV. Calend. Novemb. A. O. R. cto lxxcxcv.

M. STEPHANUS ANDREAS

MIZLER,

&

JOANNES CHRISTOPHORUS

SENFFTIUS,

Creilsheimio & VVirsberga Franci,

publicè disputabunt

in Audit. Philosoph.



Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

2 VIII.

Q. D. B. V.

DE

CAMPANIS.

in Electoratu ad Altim. Archidiaconia

XIV. Calend. Novemb. A. O. K. 1765. XCV.

M. STEPHANUS ANDREAS
MIZLER.

&

JOANNES CHRISTOPHORUS
SNEFFELIUS.

Cicilshornio & VViesbargo Franco
Publico Librario

in Acad. Philosoph.

.....
Typis Christiani Schaefferii, Acad. Typ.



hinc C. ad hunc locum ad hunc locum & hunc locum. Cuius
I. N. F.



Nev πρῶτος, & παρὰν, ex lege Arcopa-
gitarū, propius ad rem ferimur ipsam,
aeterno antea Numini submissē sup-
plicantes, ut facem veritatis accende-
re, viam signare, ac nos auxiliō praesi-
diōque sustentare atque recreare ve-
lit!

CAP. I.
DE INVENTIONE CAMPANARUM.

§. I. Campana unde derivetur, si quis quaerat? vocem
hanc veteribus incognitam, pro hodierno usu iudicat, in
Origg. *Becmannus*, & deducit à *Campania*; quod hac in-
strumenta ibi pararentur optima, & mitterentur aliō.
Καμπάναν *Balsamon* appellat *συμανθησίου μετακλήσεως τῆ
λαῶν εἰς τὰς νῆας*. Subintelligitur adjiciendum substantivum,
sive *nola*, sive alia supellex. *Campanum* *aes* cum *Statio*, *La-
tini*us vocare liceat, *Campana peristromata* laudantur *Plau-
to*; *Campanus* ager *Plinio* & *Floro*. *Hieronymus* ad *Eustum*
meminit *campanulæ*, deminutivi. Sed nos *nolas* & mino-
ra tintinnabula (de quibus *Magius* ex instituto scripsit,) à
Campanis omninò volumus distingvi.

§. II. De illis loquitur *Plinius*: *Ut in summo orbis
aeneus & petasus unus omnibus sit impositus, de quo pendeant*

excepta catenis tintinnabula, quae vento agitata longè sonos
referant, ut Dodonae olim factum. Lib. XXXVI. c. XIII.
Juv. I. Sat. VI.

Tot pariter pelves & tintinnabula dicas
pulsari.

§. III. Et olim spectarunt ad horologia & fora. Cum enim Cynocephali, clepsydrarum, calculorumque usus in pelvim decidentium exolesceret, malleo invento, percussa nola horas explicuit intensò sonò, mortaliumque facta maturavit, & in animis non Christianorum Providentiae, ceu Deae singularis, venerationem excitavit, juxta illud Ennii:

Teg, Quirine Pater, veneror, horamq; Quirini.
Ovidio accinente:

Et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, horamq; vocat, quae nunc Dea juncta Quirino est.
Postea horae triplici numero auctae & cultae fuerunt:

Et Jovis & Themidos horae de semine natae,
Eunomia, atq; Dice, atq; Irene Dives & omnes
Florentes, vernae.

§. IV. Cum enim Polyd. Vergil. Lib. III. c. XVIII. facta scientiae copia, longissimè respiciat, & Moysi memoriam recorderetur, assensu sententiam ejus nondum sequi possumus, licet nos Martialis alliciat svavitatè:

Redde pilam, sonat aes thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?
aut Josephi auctoritate trahat III. Antiq.

§. V. Nos nondum ad illorum temporum initia & semina, unde sacer DEI Coetus natus est, & ringentibus hostibus succrevit, Campanas referre conamur. Quis ignorat, & hospes adeò in historia Ecclesiastica versatur, ut eum ateat, religiosos homines in foro conjurationes, in aedibus
infi.

insidias, in lectis tumultus, in campis hostes, in omni autem loco ferrum, flammam & immanissimas bestias semper extimuisse? multa sanè consolatione se leniri existimaverint, si Tempia sacra & religiosa loca potuissent supremo Numini dedicare. Sed hac spe exerciti & frustrati, nocte illuni & nubila, vel die adhuc dubio ac languido, conventus celebrarunt, atque Sospitatorem venerati sunt.

§. VI. Videretur igitur *Pancirolli* Lib. II. p. 378. per vulgata atque in manibus jactata opinio aliquo fulciri fundamento, qui, Christianis ex acerbissimis vexationibus ereptis, templa aedificari, campanasq; fundi coepisse adstruit, Verum enim verò eam verius excussit *Salmuthus*, inanemque reperiit. p. 379.

§. VII. Scilicet *Origines* ultimae plerumq; sunt tectae, & *Hieron. Magius* ac *Syberzius*, consulendi causâ evoluti, nos incertos dimiserunt. Quamobrem non adeò aberrabimus conjecturâ, si Sec. VII. inclinante, Campanarum usum invaluisse credamus, nec non litem auctoritate *Bonifacii*, *Campanam ex Anglia* sibi transmitti cupientis, componamus, & monumentis *Venerabilis Bedae*, ubi Campanarum usus explicatur, innitamur. Ambo floruerant Sec. VIII. & sicut ille propagandae doctrinae coelestis laudibus apud gentes floruit omnes; ita etiam nihil intermisit, quod ad ornamenta Templorum piosque ritus pertineret.

§. VIII. Inventoris nomen etiam oblivio obscuravit. Licet enim *Pancirollus* hac gloriâ mactet *Nolae Episcopum*, ille tamen à laudato *Salmutho* ita oppugnatur, ut debilitatus illicò conciderit; id interim in Praefulis laudibus ponente, eum antiquatis pravis superstitionibus, multa in Ecclesia emendasse.

§. IX. Nos ostensâ haesitatione, id, quod sentimus, indicamus, scriptores vel inventorem non literis mandasse,

vel sublapsam antiquitatem amisisse, aut invidentiam delevisse, cum nobis ante oculos versetur HERBA PARIETINA ab *Ammiano Marcellino* exposita Lib. XXVII. Quare etiam illos, qui Campanarum officinam in Occidente, nominatim in *Campania*, vel in *Anglia* constituunt, nolimus limâ persequi.

§. X. Materies ab artificibus non simplex adhibetur, sed quae semper aliquid admistum, dispar ac dissimile habeat, quod Campanae jucundiores edant sonos, concentumque efficiant pulchriorem. Quippe tres, quatuor aut quinque partes cum una stanni Anglici commiscant, vel viginti libris stanni C, lib. cupri adiciunt. Prior admistio melius cedit posteriore, quae magno saltem crepitu aures complet & ferit. Quanquam usus saepius plura sva deat, plura postulet. Vid. *Arban Kirch. in Art. Mag. conson. & diff. p. 250.*

§. XI. Figura absolvitur ita, ut crassities longitudinem & longitudo latitudinem excipiat, malleumque intervallis pro portione ratis opifices commetiantur, ne minor tardè & incommodè sonet, aut major Campanam quatefactam effringat. Quae primùm rectè perpenderunt artifices Belgici, ut imperante *Maximil. I.* Campanas concinentes figurarent, & animarent, nec non incredibiles delicias maris accolis parerent.

CAP. II.

DE USU SACRO.

§. I. Campanis convocantur homines, ut frequentent Tempia, Sacris operentur, divinasque celebrent laudes. Quamobrem *Sveidmizi*, in oppido Silesiae hoc dist. Campanae inscriptum est:

*Ad res divinas populo pia classica canto,
Fulmina discutio, funera ploro pia.*

Id

Id quod hominibus, nondum divinâ luce collustratis, etiâ
in usu positum fuit. *Apolodorus* libro, quem *de Diis* in-
scripsit, *Hierophantam* h. e. Proserpinae sacerdotem tintin-
nabulam, sive nalam *Athenis* pulsasse confirmat. Nec minus
Osiridis festo die, sistrâ & crepitacula in globi speciem forma-
ta, variata & distincta strepuerunt. *Hebraei* instrumentô
מגדור תמיד *Mignapbe tamid* appellatô, suos convoca-
bant & aggregabant, quod teste *R. Hanase* in templi *Hie-
rosolymitani* fundo, arcu insurgente, collocatum fuit, quô
sonum revocatis reflexisque itineribus adauctum *Jeri-
ebuntini* Civis perciperent. Vid. *Atb. Karch. Lib. II. Mus. cap.
IV. §. 2.* Cùm in recentis Ecclesiae tenebris, caecisque nu-
bibus, ac procellis populum è navi exturbare conten-
derent feri, asperi & singulari immanitate ac crudelita-
te praediti Caesares, conquisti, atque electi Viri, *sedd eguoi*
Ignatio in Epistola (si ille verus auctor est) ad *Polycarpum*
dicti, omnium obibant domos & concursabant, atque ad
sacra facienda hoc pactô invitabant. Verùm cùm sedatis
fluctibus, commutatâ tempestate & pacatiore coeli statu
redeunte, pii in tutum fuerint collocati, datô publicè si-
gnô, ad templa, tanquàm ad portum pristinorum malo-
rum confluerunt, quanquàm an lignum, aut lamina fer-
rea perforaverit, suspensâ haec scribamus manu.

§. II. De *Graccis recent. Tbraeiae Subiectis Regi* idem
tantùm fixum nobis & statutum est, eos lignis, quae traden-
te Caesario *L. I. c. IV.* *Symandra* & *Agiosymandra* voci-
bus *Grajis* appellantur, sonum edere, barbaris ex trivio ar-
ripiantibus, fore, ut *Campanis* pulsatis, arderent maximè
conjuraciones, occulta aliorum odia, quae tacitis adhuc
discordiis continerentur, in eorum fortunas, in Imperii
exitium & in urbium incendia erumperent; nisi adhuc
contaminatâ sint imbuti superstitione, cassas corporibus
ani.

animas, à Veteribus εἰδωλα compellatas, per aera ultrò citrò-
que volitantes, perterreri & perturbari; si vel sepulchri ho-
noribus caruerunt, juxta illud Virg. Aen. III. v. 68.

- - - Animamq; sepulchro
condimus. - - -

Vel manes occisorum non purgarunt & expiaverunt super-
stitēs, quò illud *Luciani* principio quadrat;

- - - Umbrae, erraret *Crassus* inulta.

Quae cum ita se habeant, quorundam notationes animad-
versionesque veritati repugnare videntur, qui Heroum,
modò animas per aethera vagari existimarunt; *Virgil. Aen.*
V. 83. v. abuli;

Salve sancte Parens, iterum saluete recepti

Nequicquam Cineres, animaeq; umbraeq; Paternae,

Conf. Lucretius L. IV.

§. III. Nihil autem Sacerdotes olim honoribus suis
indignum aut iniquum fecerunt, cum ex Decretis Concil.
IV. *Cartag. & Colon.* campanas pulsarint, *Benedictus in Reg.*
c. XLVII. hoc officium *Abbatēs* suscipere & explere, *Ama-*
larius Presbyteros in laboris societatem venire, *Capit. Carol.*
M. Lib. VI. c. 168. Sacerdotes generatim *horas Canonicas* hoc
modo significare vult.

§. IV. Cui Veterum voluntati summa constitit haec
ratio, cum signa sint sacra, populumque ad verbi divini e-
puliq; coelestis excitent cupiditatem & inflamment. Qua-
re jam in V. Instrumento Sacerdos Maximus, Pontificio or-
namento effulgens, vestium fluentes incisasque oras aureis
tintinnabulis & malis, alternorum ordine, alligavit, vincivit
& constrinxit, ut, quoties in Sacro-Sanctum ingrederetur
locum, vel pedem efferret, clangor DEI religionem & san-
ctitatem in animis *Hebraeorum* imprimeret, & quasi divi-
nam speciem signaret ac efficeret. Contra dissimilis & di-
spar

spas tintinnabulorum fuit conditio. Quippe qui legum se-
veritatem criminum immanitate exceſſerunt, ſummo cru-
ciatu ultimòque ſupplicio perierunt, tintinnabula antea,
vel nolas geſtarunt, ſive ut vulgus confluere, aut arceretur,
ne quis hominem improbum flagitiisque contaminatum
tangat, ſemetipſum etiã polluat, famamque virtutis cor-
rumpat & violet, uti eſt apud *Zon, Lib. II. annal.* Quam-
vis *Plauti* ratio probabilis & propè vera ſit, non tam ſcele-
ratos, quàm carnifices ipſos eadem portaffe, in *Pſeudolo,*
Scena Pſeudolo non.

Lanios accerſam duos cum tintinnabulis,

Et in Trunculento. Sc. Egone Tibi.

Ne ego bilingves vos necem, niſi

Ad tintinnaculos vultis vos educi Viros.

Ubi per viros tintinnaculos *Turneb. L. II. c. XXI.* carnifices indi-
gitat. conf. *Salmuth*, in not. ad *Pancir.* p. 385.

S. V. Cùm olim *Lacones*, Rege fatiſ conceſſo, ſtrepitum com-
preſſis colliſiſq; ederent lebetibus, *Aeneas* iisdem accenderet juven-
tutem, animoſq; erigeret ad aemulandũ, uti eſt ap. *Virgil. L. V. Aen.*

Tertia dona facit, geminos ex aere lebetas.

Aliae gentes tibicines in puerorum adultorumque funeribus con-
ducerent iuxta *Stat. Pap. Lib. VI. Theb.*

Cum ſignum luctus cornu grave mugit adunco

Tibia, cui teneros ſperum producere manes

Lege Phrygum moeſtã;

ac iuxta *Ovid. Lib. I. Trift.*

Tibia funeribus convenit iſta meis.

Et *Lib. IV. Faſt.* *Cantabat fanis, cantabat tibia ludũ,*

Cantabat moeſtis tibia funeribus.

Chriſtiani verò, cineribus *D. Anaſtaſii Caefaream* translatis, ligno-
rum ſacrorum motus ita cicerent & agitarent, ut omnes conſeſſim
effuſi, exequias ſtatis ſolemniſque ceremoniis & laudatione pro-
ſequerentur; jam veterum conſuetudinem, morem priſtinum &
inſtituta majorum dies mutavit, Campanis acerbos luctus, lacry-
mas triſtes, ſletuſq; moerentes intonantib9 & heredum amicorumq;
officia praefumentibus. Quarum pulſus magnopere variant, ſi Prin-
cipibus, Nobilibus, aut Viris Clariff. conditoria exſtruantur.

S. VI. Quò animoſ etiam defixiſſe & intendiſſe ii videntur, qui

Romae factis praefuerunt, cum Campanas aliter meridie jusserunt
cieri; ut Deus piorum hominum precibus flagitatus, gladios *Sey-*
tharum in Christianorum Kemp. districtos retundat, mucronesq;
ab eorum jugulis rejiciat, pacemq; barbaris profligatis, salutarem &
aeternam concedat. Cum autem, inclinante die, idem suscipiatur of-
ficium, id eo spectavit, ut apud neminem memoria consalutationis,
quâ Angelus Mariam Θεοτόκον impertiebatur, pereat, atque inter-
motiatur.

§. VII. Cum autem, concitata tempestate, tonitru coelum con-
tremit, grandines ex atro nubium globo effunduntur, jectus fulmi-
num, ruinas, naufragia & incendia extimescimus, plurimis in locis,
audito Campanae sonû, confestim se prosternunt, & fractis animis
humilibusq; Deo supplicant, ac gravissimarum culparum impen-
dentes poenas retardant, avertunt aut plane effugiunt. Neq; id for-
san superstitiosè & aniliter, sed certâ ratione dicitur, Campanarum
boatum strepitumq; purgare tumidum coeli spiritum, solvere coe-
cas nubes, vim fulminum effringere, & quandoq; Reip. portentum
prodigiumque afferre.

§. VIII. Quare nos jam idoneae occurreremus occasione, fatales per
se & suâ sponte editos Campanarû sonitus admiraturi. Nam *Villilde*
Campana per aliquot menses, licet à nemine moveatur, persitrepente,
vicissitudines Christiani orbis praemonentur. Plenius cumulatusq;
id exequitur *P. Mariana* L. XXI. c. X. de R. H. *Triginta sex passû mil-*
libus infra urbem Caesar-Augustam, oppidum Villila ad Iberi ripam
situm est, ex Celsa Romanorum in Hergetibus Coloniae ruinis consti-
tum, nullaq; re hac tempestate & avcrû memoria nobilior, quam Cam-
piana, cujus, nullo movente insolito, insolentiq; pulsu nobilissimos in u-
tramq; partem eventus significari, iis hominibus persuasum est, ineptè,
an verè, non dispuo. Oculati tamen hujus miraculi testes citantur, viri
nò leves. Eam Campanam pridie ejs diei, quâ capti sunt Reges, sua spon-
te pulsam ferunt. Iterum ad tert. Kal. Nov. & prox. Jan. Mensis nonis
tertio sonuisse, quo tempore, composito Mediolani foedere Arragoni-
us est in libertatem restitutus. haët. Mariana. conf. Varius L. II. de
Falsc. c. IV. G. Schott. Mag. univers. P. II. L. III. p. 172. P. Euf. Nie-
remb. Hist. Nat. de mirac. L. I. c. VII. Thuan. Lib. CXXVI. Petrus
Matth. tom. II. L. VI. p. 77. Boterus in histor. 1601. Besoldus in hist.
Hieros. & Neap. p. 1087. de similibus Campanis monasteriorum Ca-
morensis, Cordubensis & Salernitani etiam verba possemus facere,
nisi Kircherò doctrinae suae addictissimo, horumq; sonituum, omi-
num

num & prodigiorum rationem in Angelos Tutores transferenti, cupidas aures praebere velimus, ac si sanctus quidam nimiorum meritorum gloria conspicuus hoc privilegium a Deo impetraverit, ut dicti Angeli hoc pacto imminencia mala, obitus fratrum exitiaque imperiorum annuncient, Sed cum idem captiones, fraudes, praestigias seductionesq; daemonum non excludat & segreget, proprio sensu, conjectura & voluntate in contrarium rapitur. Tantum abest, ut quis hac in re suo iudicio etiam limatissimo ac polito stare possit, ut potius suspensi ac incerti, obscura spe ac coeca expectatione semper pendere debeamus. Quanquam nos non lateat, horrendos canum sonos, & lugubres ejulatus *Gasparellum in curios, inaudit. p. 255.* & *Celeb. Medicos, Villisum de anima brutorum, & Bobnium Pro-gymnas. XXII. Circuli Anatomico-Physiologici, a tetri odoris afflatu moribundorum derivare; attamen non constantem hactenus rationem afferri vidimus, quamobrem hominibus vehementi & violenta morte extinctis, murmurent elementa saepius, undiq; omnes venti erumpant & saevi existant turbines?*

S. IX. Ne tamen in extremo caput hoc etiam mutum & elingve videatur incedere, Campanas quandoque conticescentes perstringere breviter ac attingere volumus. *Meyer. Lib. III. Hist. Fland. ad annum a Christo nato clo LXXII. narrat, Morinis annonae difficultate, summaque rei frumentariae inopia pressis, plurimos famis depellendae causa, Aldenburgum avolasse, & quendam ibi repertum fuisse, pallido malo enecatam. Sed cum illi, ceu holpiti & advenae, Codobertus sacerdos, pulsatis Campanis, iusta solvi vetuisset, ecce stupentibus cunctis, qui aderunt, prodigio personam illa (mirum dictu,) personuerunt. Ex Dacherii tom. IV. Spicileg. constat, quod Eligius sacerdotem contumacem ab officio abstineri iussit, verum cum Praesul alicubi moratus, Ecclesiarum curam gereret & mandatorum fidem exigeret, Presbyter occasione fretus auctoritatisq; hebescentis anxius, in Templum ingreditur & Campanam pulsat frustra, mirumque illius silentium non supprimit, sed conscientiae religione tactus divulgat. At eo cum Antistite in gratiam redeunte & imperata faciente, Campana resonuisse fertur. conf. *Jo. Rona rerum Lit. L. I. c. XXII. p. 443.**

S. X. Quam ob causam illi, qui leges monitaque vivendi tradunt & interea sibi sacerdotem fingunt & formant, quem divina potestate praeditum munus sanctissimum deceret, in Campana ejus exemplum ac imaginem intueri solent. Sicut enim Campana lo-

cō in altum editō appenditur : ita Sacerdos Auditores docere, instituere ac instruere debet, ut animis sint excelsi, alti, humanaque despiciant, Deum verò sibi ad maximū amorem & imitationem deligant. Veluti ex metallis mixtis fusa, nec gravibus coarctata trabibus aut oppressa, nec loci angustiis inclusa Campana, clariorem edit sonum : ita idem Sacerdos pacis concordiaeque amantissimus vitiosaque animi affectione vacuus sit, si laudibus bonos efferre, languidos accendere, moestos solari, spem veniae dolentibus proponere, libidines, flagitia, turpitudines, audacias furores ac acervos quasi facinorum coarguere debet, quò tandem aliquando Ecclesia ex magnis morbis liberetur, convalescat & exuret.

CAP. III.

DE USU CIVILI.

§. I. Ex dictis hactenus inire quisque rationem potest, Campanas esse signa publica, & organa utilia; insignes urbibus, oppidis, & vicis usus afferrentia. Si enim Magistratus jura statuere, comitia ordinare, leges novas condere, aut consilia de summa rerum capere velint, plurimis in locis, pulsatis id campanis indicatur, & omnia virorum civiumque conventu aguntur, ac cujuslibet privati salus cum publica conjungitur. vid. *Maul. de Homag.*

§. II. Hinc, ortò incendiò, cidentur campanae, quò Cives hamis aut dolabris sint praesto; ardentes flammis, suffusus undis, supprimant, ruinas sistant aut compefcant, everfis domibus, sublatisq; alimentis. *evolv. Ad. Keller. de offic. Jurid. Polit. L. II. c. XV. p. 69.*

§. III. Quòd malum si ultore gladio quandoque expiari debet, Magistratus Campanam, resonante, omnibus adstanti, videndi, & audiendi facit copiam, ut, è medio sublatis improbis, ceteri virtutis viam ingrediantur, aut ingressi cursus, quos tenuerunt hactenus, alacriores semper currant, ac non sine laude metam consequantur; vid. *Carol. V. ordin. Crim. art. LXXXII. & Limnaeum in l. P. Lib. VII. c. III. p. 69.*

§. IV. Florentini igitur fortitudinis laudem confectantes, campanam singularem, nomine MARTELLAE insignem fundi, & per mensam integrum, antequam instructa acie hostes invaderent, cieri jufferunt, quò hostes vim vi illatam melius defenderent, ipsorum virtuti autem major laus, memoria aeterna generi, maximus honos & gloria nomini, constitueretur. Idem signum exercitum consequabatur, excubias disponebat & belli munia moderaba-

tur. hinc *Nic. Machiav. Hist. Flor. L. II. p. 67. Lugd. ed.*
c. l. l. c. XLV. scribit: *praemonet Florentinorum integritas, praemonet ominum ac portentorum gravitas.* scilicet veteres noctes tantum proditioni, dedecori, furcis, latrocinii deligi & adjici, palmarum autem plurimarum antiquos & nobiles milites obscurari, ac tyrones, sine nomine, sine honore, perire existimant; uti est apud *Tac. Annal. XIV. 21. Hist. III. 12. 77. & de mor. Germ. 43.*

§. V. Nec minus apud homines Christiana religione non imbutos usu quintuplici potissimum se probant tintinnabula (1.) Excubitores nocturnis vigiliis ea tulerunt, editoq; sono illico responsum est.

§. VI. Capiebatur (II.) experimentum, an equi ferocitate exultaturi, virtum ascendente vecturi, aut pugnae tumultu percussuri forent? prout memorat *Svidas*,

§. VII. Romani (III.) tintinnabulo sonante, statis horis thermas ingressuri, vel advocabantur, vel dimittebantur. Id quod ex allate superius *Martialis* versu, constat, monentis, ut in *Gymnasio* versantes, paraturi lotionem, *velis equisq;*, ut dicitur, festinent, cum elapsò exiguo temporis spatio, nullus amplius lavandi locus relinqueretur, & frigidam tantum aquam, virginis nomine agitata, se purgare deberent.

§. VIII. Graecis (IV.) in foro piscinario coenitantibus, noxae sonitus auditus est, *Plut. Lib. XIV. sympol.* Cujus rei documentum oculis auribusque jucundum & gratum *editi Strabo L. XIV.* Cum citharoedus quidam insolentius apud *Jassios* jactaret artem, ac sine exemplo secum certare, secum contendere vellet, nolam crepitum edente, omnes, effuso cursu, forum petierunt piscinarium, uno tantum, cui audiendi sensus corruptus fuit, in eodem vestigio haerente. Quam ob causam artifex grati animi significationem ei edit, qui Musices amore accensus, personante signo, sibi constantiam haud vulgarem probarit, ceteris defugientibus. Tum hic: *strepitumne noxae auribus percepisti? vale ergo citharoede, & prospera utere fortunam!* Quibus dictis effectum est, ut artifex sine mora, abjectam omni cunctatione, alicunde avolaret.

§. IX. Denique (V.) videbantur tintinnabula implere officium tonantis Janitoris. Quare *Suet. Lib. II. 91. Tonantem*, inquit, *pro janitore ei appositum, ideoq; mox tintinnabulis fastigium acedis redimivit;* quod ea ferè januis dependebant. In primis in acedibus Magnatum amplis & spatiosis usus tintinnabulorum fuit. *Dio*, ait, illis usos τῆς τῶν συνοικίας νῆπταρ Φυλδοστοίας, h. e. cum o-

des insularum & vastarum aedium, quas habuere Romani Caesares. *Glossar. insula vno* ☉, *ovvozia.*

CAP. IV.

DE ABUSU CAMPANARUM.

§. I. In crimen hic primum vocari debent Pontificii, qui aequitatis destituti testimoniis, divinisque oraculis abusi, campanas sacro fonte abluunt, ac varijs nominibus insigniunt, violatis DEI temerè nominibus.

§. II. Quae corruptio non adeò recens, sed jam *Constitut.* *Ca. voli M. à Busaéo editis*, innoxia est, ubi haec leguntur verba: *Ut Cloacas non baptizent.* Postea eandem stabilivit Joannes XIV. Sec. X. & Campanam in Templo Lateranensi baptismatis fonte tinctam suo compellavit nomine. *Sic enim Jo. Balens in Act. Rom. Pontif. L. IV. p. 163. in Jo. XIV. scribit: post haec & alia facta Joannes an. 973. praesenti valedixit Seculo. Ab hoc tempore coeperunt Campana peculiaria dari nomina, quoniam ipse Lateranensis Ecclesiae majori Campanae suum tribuit nomen. Frustrà igitur animum circumagat & inania quaerit argumenta Baronius, superstitionis adiutorem, cum autore commiscens.*

§. III. Quem ritum in summam collectum, ita definimus: Campana in altum sublata, sale in aqua soluto, prospersitur, oleo oblinitur, impressum crucis signum, votis, contra Ecclesiae hostes, daemonum insidias & tempestatum violentiam factis, deletur, ac deinde ad mensas exquisitissimis epulis extractas Sacerdotes adhibentur.

§. IV. Indè particulares consecrandi formulae *Pontif. Rom.* continentur, quibus silentio involutis, illa mala animo integro & libero perstringimus, quae ex impia eruperunt ceremonia, Ecclesiam afflixerunt & Caesaris auctoritatem labefecerunt. *Gregor. IX.* enim à sanitate alienus, observantiaeque supremo Domino debitae oblitus, dato Campanae signo, contra *Frid. II.* Ecclesiae aditu jam exclusum, preces ad Deum fundere iussit. Quod ipsimet Pontificii nò dissententur,

§. V. *Innoc. III.* Aetatae, Sacerdote coelestem elevante cibum, pulsari coeperunt Campanae, ut Pontificii cultus memores, quo Symbola in naturam Servatoris translata prosequuntur, ad genua devoluti, mysterio instruendo pietatem nimiam, sanctitatem ac charitatem praestent. *conf. Macri Hierolex. p. 195.*

§. VI. *Romani* quondam non retentà proprià disciplina, nec in familias propagatà, superstitionibus fuerunt obnoxii plurimus.

Tac. Annal. XI. 13. p. 176. Id magis ad *Pontifices* accommodari potest, qui, obliteratione diviniore Codicis, superstitionibus mobiles & discordes sunt, Gentiliumque mores redintegrant & prolatant. Quippe hi carmina magica, aeris impulsu reddi irrita, docente *Tibullo*; crediderunt:

*Cantus est à curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non aera repulsa sonent.*

Sonum nempe disturbare ac dissipare actus magicos, persuadebant sibi stolidi, quò minus ad deficientem Lunam evolent ac excurrant. Quo sensu accipit *Salmuthus* illud d. l. *Theb. VI.*

*Aetionis quociens avellitur astris,
Solis opaca soror, protul auxiliantia gentes,
Aera crepant, frustrumq; timent.*

Qua vi praefertim *Thesell* aëres pollere dicitur *Ovid.* & *Juv.* confirmat: *Aerem laboranti poterunt succurrere Lunae:*

& *Manil. L. V. Senq;* in extremis quatiuntur gentibus aera.

Laborantem enim Lunam idè eloquuntur; utpote quae magico carmine superata, orbe pulsa, rubore virginalis vetecundiae argumento & exemplo, suffundatur. Ita *Seneca* in *Hippol.*

*Et nuper rubuit, nullaq; lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbato,
Tractatae Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus.*

Quae cum curatius *Salmuthus* differat omnia, nos ex *C. C. Tac. graviss. Script. Annal. L. I. 28.* illustre adhuc subministramus testimonium: *noctem minacem & in scelus erupturam fors lenivit. Nam Luna clariove paene coelo visa languere. Id miles nationis ignarus omen praesentium accepit, ac suis laboribus defectionem syderis adsimilans, prospereq; cessura, quae pergerent, si fulgor & claritudo Deae redderetur. Igitur aëris sono, tubarum cornuumq; concentu strepere: prout splendidior obscuriorve, laetari aut moerere. In Arabum autem scriptis *Hudelicis* & *Kamiticis* religiosissimum nomen est idolum *PNJD* aut *Zachra*, petra, erudite demonstrante *Pokio*, dictum, in not. ad *Abulfarajum* à p. 92. ad 96. & p. 103. quòd Sydera imbribus effluentia clauderet & cohiberet. Cujus cultum summus *Grotius* ex *Strabone* & *Jamblicò* in vita *Pythag.* in *Armeniam* & *Phrygiam* transtert.*

§. VII. Quare *Pontificii* Campanas sacra aqua aspersas, id facere


cere & efficere credunt, quò minùs phantasmata, larvæ, visiones manes, lemures, vel phasmata, sive mostella, ut appellat *Plautus*, reddant domos infames & pestilentes, lectos, ad quietem datos, obruant, catenis insonent, parietes diverberent, inhabitantes sibi tristes noctes, dirissimosque metus fingant, pestilentia ingruat, artes nefandæ accelerent tempestates, & agris detrimenta inferant.

§. VIII. Nec culpâ vacui sunt belli Imperatores, victores hostium, si, Deò in prædam cessurò, Templorum turres spoliant Campanis, & in majorum militarium tormentorùm usum convertunt. Sanè *Cicero* in *orat. pro Manil.* in impios Romanorum milites invehitur, & *Cloidiũ* justas poenas Deo solvisse demonstrat alibi, qui Templum sacrilegio polluere ausus sit. Quare si necessitate depressi, id, more, lege, ac Jure Gentium faciant, semper tamen tacitò conscientiaè officio fruente, aliud de suis pollicebuntur, & in tempore omnia reddent ac restituent; memores, non Gentiles modò religione summâ sana coluisse, uti est apud *Thucyd.* ἰόντας Πρὶ τῶν ἀλλήλων ἡ ἱερῶν τῶν ἐρόντων ἀπέχουσι; Sed *Christianos* etiam præclarâ hac conscientia sustentatos fuisse, teste *August.* L. 1. de *Civ. Dei*, quum talis ejusmodi multa quoque ex iniquo trahat, docente *Aristide* L. II. c. XXI. §. 18. πῶς ἔν ἀποποι κατηγορεῖν μὲν καὶ λέγειν NB. ὡς ἀμαρτήματα συμβαίη, μιμῆσθαι δ' ἀξίον ὡς ἐρῶς ἔχοντα.

§. IX. Hinc furtò se attaminant, & exitium sacpè sibi accelerant, qui aes Campanis destinatum, commutant & praeripiunt. Exemplum artificis oculis subjicit nostris *Monachus Sangallensis* in *libro de Eccles. cura Caroli M. c. XXXI.* Qui, stannò in argenti locum subditò, fusâque Campanâ, magnam gratiam apud Sanctissimum inivit Regem; verùm cum, immisò malleò ferreò, viri laboriosi frustra cjerent Campanam, operis effector levaturus eos, accurrit, funeque prehensò, manibus & pedibus omnia facit, donec malleus delapsus, verticem ejus concussit ac fregit, & dignas scelere poposcit poenas. Vid. *Jo. Bona Rer. Lit.* L. I. c. XXII.

§. X. Quod restat, superstitiosum, commentitium, & vix anicularum lucubratione dignum est, qui, non cognitò coeli spiritu, nec exploratis ventorum moribus, aut signatâ tempestatum varietate, ex immutatò Campanarum sonitu, modò detestabilia, modò fortunata capiunt omina. Quam in rem, habitâ legum Academicarum ratione, plura mittimus in præsens.

S. D. G.





1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X Y Z

A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T U V

Copyright 4/1999 XxyMaster GmbH www.xyymaster.com

VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset

20 cm